

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Disputatio Juridica Inauguralis De Potioribus Ætatum Privilegiis

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1721]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002508703>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 23. Sept. 1721

Petersen, Joh. Christ.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002508703/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002508703/phys_0001)

DFG

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
POTIORIBUS
ÆTATUM PRI-
VILEGIIS,

QUAM

DEO T. O. M. ANNUENTE,
EX DECRETO MAGNIFICI JURE CONSUL.

TORUM ORDINIS

IN ILLUSTRI ACADEMIA VARNO-BALTHICA

PRÆSIDE

VIRO PRÆNOMINISSIMO, CONSULTISSIMO
atque EXCELLENTISSIMO

DN. JOH. CHRISTIANO
PETERSEN,

U. J. D. & CODICIS PROF. PUBL. ORD. CELEBERRIMO
AD HUNC ACTUM DECANO SPECTABILI,

FAUTORE AC PROMOTORE SUO ÆTATEM COLENDO,

PRO SUMMIS IN JURE HONORIBUS
rite IMPETRANDIS,

Anno MDCCXXI, d. 23. Sept. Horis ante-

& Postmeridianis, Eruditorum

ventilationi fissis

ERN. JOH. FRID. MANTZEL,
JUR. CAND.

ROSTOCHII, Typis Joh. Wepplingi, SER. PR. & ACAD. Typogr.

16

DISTRIBUTIO JURIDICA IN UNIVERSITATIS

POTIORIBUS
PATRUM FRI-
VILICORIBUS

GRADU

PRO T.O.M. ANGELINER.

EX DECREEB. UNIVERSITATIS ET ACAD. COLLEGII.

FORMATIO SCOLARUM.

INTITULATI ACADEMIA VENEXIANA

PRÆFECTUS

PRO TAKSONOMIA, GENTIMENTUM

DN. Ioh. PFEIFFER.



UT D. AGOGICIS PROB. PROB. PRO CULTURRIM.

AD INGENIACUM DECANONI ETATUM.

EXALTES DEG. MUNICIPALIS ET DE CONSULES.

PRO SUMMIS IN IURE HONORIBUS

THEATRIS TRADIDIS.


AD INGENIACUM DECANONI ETATUM.

EX FUNDATIONIBUS E. BIBLIOTHECA.

ERN. Ioh. FRID. MANTLER.

PRO CUND.

XOAGOGICIS PROB. PROB. PRO CULTURRIM.



Q. D. B. V.
DISPUTATIO:
De
POTIORIBUS ÆTATUM
PRIVILEGIIS.

CAPUT I.

Generalia occasione Rubri
tractans.

SUMMARIA.

§. 1. Enodationem vocabulorum, fCtis
svadentibus, necessariam judicat

§. 2. Explicat vocem Prvilegii.

A 2 **§. 3.** Di-

 boup , ualutis mulat obfati drey
 boup , caron oibtha da rumbiv etiam magiglo
 771

- §. 3. *Dicit, quid sit Privilegium,*
 §. 4. *Explicat vollem ætatis.*
 § 5. *Allegat acceptiones ejusdem varias.*
 §. 6. *Jutorum & Medicorum definitiones ætatis tradit.*
 §. 7. *Ætatis variam divisionem sistit.*
 §. 8. *Institutum declarat.*

§. 1.



E moribus Jure Consultorum; non sine fundamento & ratione receptis, qui enodationem vocabulorum svadent atque commendant, nostro exemplo contrarii videamus, brevibus explicationem vocum in fronte dissertationis nostræ expressarum subministrabimus, ut eo facilius, quid nostræ sit intentiens, inde appareat atque constet.

§. 2.

Exhibit vero titulus vocabulum *Privilegii*, quod originem trahere videtur ab adjectivo *privum*, quod
pro-

*proprium & peculiare denotat, nam probare illud autum
Horat. Libr. I. Epist. I. scribentem:*

*Conducto navigio æque
Nauseat ac locuples, quem ducet priva triremis.*

Item Libr. II. Satyr. Sat. 5.

Sive aliud privum dabitur tibi.

Imo veteres priva dixerunt, quæ nos singula dicimus. *Pas-
rad. Præcī Lexic. Jur. Civ. & Can. voc. Privileg. Jam Philologi
nomen privati, denotans id, quod non est commune sed
proprium, inde vero privare, seu alteri aliquid eripere, &
porro Privilegium deducere solent. Græcis audit προνόμιον,
Lex privato homini irrogata, Sive Lex ad privatos ho-
mines pertinens Cic. pro Dom. ad Pontif. evolv. in super-
fluum Ambros. Calepini Dictionar. voc. Privil. Nec opus
erit ut multis exspatiemur in Grammaticorum diver-
ticula, quoniam omnibus jam Lexicographis satis ex-
cussa res est.*

63.

*Privilegium alias in genere est exceptio a communi lege,
s. jus ob certam aliquam considerationem, relaxatio-
nem vel exasperationem a Communi jure tribuens.
§. 6. I. d. I. No. G. & C. L. I. §. 2. ff. de Constitut. Princ. L
16. ff. de Legib. Exemplum privilegii odiosi Umbriciæ
ab Hadriano Imp. statuti, ex l. 2. ff. d. his qui sui vel.
al. jur. in fin. allegat. Hall. Crisim Ludovici Doctrin. Pan-
dect. ad Tit. de Constit. Princip. §. 5. Hinc constat, quod
illa jura, quæ nos in præsenti dissertatione Ætatis, &
præsertim personis intuitu Ætatis suæ impertita, recen-
sabitur*

A 3

sebimus, omnino Privilegia appellari possint. Ceterum quæ de Privilegiis, eorundem collatione, & revocatione dici possunt, dicta jam satis sunt abs *Magno Conringio* diss. de *Privilegiis recte conferendis & revocandis*. *Helmsad.* 1669.

§. 4.

Succedit vox *Ætas*, quæ non uno modo scribi solet; quidam enim per E. simplex *Etas* pingere malunt, derivationem trahentes a græca voce *ētos*, quæ annum significat, propter ætatis nimirum amplitudinem, quæ multos sæperrime annos complectitur; Reliqui vero rectius fortean per diphthongum scribunt *Ætas*, illisque quasi *Ævitas* ab ævo, quod longum temporis denotat spacium. *Vid. Beccmann de Orig. LL. voc. Ævum.*

§. 5.

Est autem vox *Ætas* generalioris acceptio[n]is, siquidem non ad personas solum, sed etiam ad res temporaque pertinet, hinc in L. 58. ff. *de Legat.* I. ædificiorum *ætas* idem est ac amplitudo ædium. Sic *ætas* quoque sylvarum arborumque *Plinio* dicitur; In l. 16. C. d. *Oper. Publ.* *ætas* pro longo tempore accipitur, & l. 26. §. 12. ff. *de Cond. Indeb.* *Ulpiano* dicitur *ætas temporis. Conf. Cal. Vips. Lexie. Jurid. voc. atas.*

§. 6.

*J*Ctis *Ætas* mensura quedam temporis audit a Nativitate

vitate usque ad obitum decurrentis. *Mascard.* de Probat. concl.
1054. n. 58. Medici vero aliam plane ætatis definitio-
nem eligunt, de qua multus atque diffusissimus vid.
Paul. Zaccias Quast. Medicorum Legal. L. I. T. 1. i. juncto
Job. Fernelio in Medicina Libr. III. Cap. X. p. 129. hac de Ma-
teria erudite differente,

*ni auctoribus sigillatis. I. siq; audius n. et seq; videntur
digni & apti. Autem cap. 3. §. 7. ut huiusmodi cap. eius
etiam*

Etatis divisionem haud facile insituere poterimus,
quoniam tot fere dissensiones circa eandem, quot capi-
ta de illa unquam cogitarunt; Circa Rabbinicam, quam
tradunt in *Pirke Avotb* c. 5. sub. fin. non morabimur, illi
enim tredecim classes & intervalla pro suo effinxerunt
genio. Nec multis examinabimus fundamentum ve-
teris atque vulgaris rythmi Germanici: Zehn Jahr ein
Kind / zwanzig Jahr ein Jungling &c. &c. Scimus
etiam, quod Medicis dividatur in Pueritiam, juvenu-
tem, virilitatem & senectutem; Imo haud ignora-
mus, JCtos varie dissentientes plurimos huc redire, quod
nimirum in infantiam, pubertatem, minorenitatem,
virilitatem & senectutem distingvant, quibus aliqui de-
crepitatem addere amarunt; Nobis in præsentiarum
omnes illæ distinctiones idem valeant, dum de PRIVI-
LEGIIS ÆTATUM acturi, nostram tractationem sim-
plici tantum divisioni includemus.

§. 8.

Erit nostrum itaque propositum, privilegia, quæ
per

personis ratione & intuitu ætatis conceduntur , leviter adumbrare , & quidem ea , quæ alicui tribuuntur solam ob ætatem , quibusque alias , nisi illam viveret ætatem , non gauderet ; Hinc eadem dispesce mus in Privilegia , que personis conceduntur ob ætatem Juniores , & illas , quibus Hafruntur ob ætatem proiectiorem ; Qua ex divisione duo nascuntur Capita , in quibus ipsa Privilegia dividemus in talia , quæ favorabilia tribuunt , & quæ onerosa & odiosa tollunt .

CAPUT II. DE PRIVILEGIIS ÆTATIS JUNIORIS.

SECTIO I.

*De Privilegiis ætatis Junioris ,
favorabilia tribuentibus.*

SUMMARIA.

§. I. *Quinam infantes sint , & quod illi non possint obligari , nec in judicio conveniri , sistit .*

§. 2. *Pu-*

-
- §. 2. *Pupillum sibi quidem , sed non se obligare posse , probat.*
 §. 3. *Minores privilegio , de non accipiendo Tutore gaudere , docet.*
 §. 4. *Minorum privilegium de restit. in integr. exponit.*
 §. 5. *In eadem materia continuat.*
 §. 6. *Privilegium Majorenitatis anno XXV. incipientis tradit.*

§. 7.

Infantem, qualis est in prima aetate constituta persona , l. 68. ff. ad L. Falc. l. 8. §. 3. C. d. bon. quæ lib. l. 55. ff. de Usufr. tali appellatione usque ad septimum annum a nativitate venire , Legibus firmatum constat, l. 18. pr. & §. 4. C. de Jur. delib. l. i. §. 2. ff. d. admin. & peric. Tut. l. 14. ff. d. Sponsal. Circa illum igitur , ejusque in favorem Jura varia disposuere , sic:

*Infans non potest obligari ex
Contractu. Ratio enim in propatulo est , ob
B de.*

defectum scil. intellectus & voluntatis §. 9. I. d. Inutil. stipul. l. 59. ff. d. o. & A. l. 41. ff. d. Cond. Indeb. unde & absenti, ratione animi comparatur L. 5. C. de Emancipat.

Infans non potest citari in Judicium; Quia Legitimam personam standi ibi non habet, & præterea ipse in jus vocari nequit. l. 4. pr. ff. d. in jus voc. Sed si Tutorem habeat, Hic pro Infante Pupillo judicium necessario suscipit d. §. 2. L. 1. ff. de adm. & peric. tut. Gothofr. ad L. 54. ff. de Re judic. Lit. P. & nomine Infantis agit L. 18. §. 2. sq. C. de jure delib. HOPP. ad pr. I. de auctor. Tutor. verb: Pupillis.

§. 2.

Pupillus absque tutoris auctoritate contrahens, sibi quidem alterum obligat, §. 9. I. d. Inutil. stip. L. 9. pr. ff. de auctor. & consensu tutor. & Curator. l. 11. ff. d. Adquir. rer. dom. l. 13. ff. d. act. empt. & l. 19 ff. de R.I. *Ipse vero non nisi naturaliter obligatur.* l. 21. ff. ad L. Falcid. & 64. pr. ff. ad Sctum Trebelli.

§. 3.

Minorum privilegium Speciale erae;
quod

*quod Curatores inviti accipere non opus
habeant* §. 2. I. d. Curat. sed ipsis linqvatur Libera
bonorum suorum administratio , possintque inde con-
tractus celebrare l. 3. C. d. in Integr. rest. quanquam
volentibus dandi , imo nolentibus svadendi , quia ne-
gotia sua non satis idonee gerere atque tueri possunt
pr. I. de Curat. quamobrem huic juris Romani privile-
legio per Praxin Germaniae merito repudium missum
est. vid. HOPP. Us. Hod ad § 2. d. tit.

§. 4.

*Minores regulariter in quocunque
negotio læsi restituuntur in integrum ,*
t.t. D. de Minoribus. it. t. t. C. d in integr. Reftit. ratio
est in l.1ff.de Minor. si quid igitur incaute gesserint , aut
emolumentum omiserint , quod acquirere potuissent ,
aut perdiderint quod habuerint , vel se imprudentes
obligayerint oneri , semper habent beneficium restitutio-
nis in integrum l. 44. ff. de Minor. l. 24. ff de restit. in
integr. Si vero juramento corporali sese obstrinxe-
rint & suo privilegio renunciaverint , cessat. Avth Sa-
cramenta Puberum. C. si adv. vendit. Carpz P. 2. C. XI.
d. 50. LYNCKER Vol. 1. Resp. 189 n.46. sq. quamvis de
beneficio suo certiorati non fuerint uti sustinent PI.
NELL. P.2.ad L.2. C.de resc. vendit. PARIS 1. conclus. 96.
n. 1. ANTON GABRIEL l. 2. Conclus. tit. de jurejur.

B 2

concl.

concl. 3. NOTATOR ad Seraphin. in privil. juram. 83. n. 3.
 sq. supersunt tamen viæ quibus majorennes quoq; ex aliis
 capitibus, restitutionem impetrare possunt. vid. tot. tit.
 ff. & Cod. Ex quib. caus. major. confer. B. Schæpfferus
Diss. spec. de Restit. in Integr. Rost. 1698. habita. Imo resti-
 tutionem adhuc petit, licet contraxerit autoritate Tu-
 toris vel Curatoris consensu, in Judicio vel extra illud L.
 2. & 3. C. si Tut. vel Curat. interven. Contra Minorem
 vero minor non gaudet Restitutionis privilegio L. m.
 §. 6. ff. de Minor.

§. 5.

Diffusissima hæc de Minorum restitutione.
 Materia, per omnes singulosqe casus, ubi locum habes
 at vel non, potuisset pertractari; Verum non solum
 allegata B. Schæpfferi *Diss.* illis latius enumerandis
 occupata, sed etiam Jenensium olim Celebr: JCtus Joh.
 Volk. Bechmann *Diss. de Lubrico etatis circa id quod justum*
est Jen. 1678. habita ex professo omnia perquisivit.
 Qvorsum Nos adeo brevitatis causa remittimus.

§. 6.

Privilegium Ætatis notatu dignissimum est,
 qvod transacto anno XXV. impetramus, qvoniam
 enim illo anno completur virilis vigor, & animi vires
 tunc perfectioni magis accedunt, unde atas illa robusta
 audit,

audit, l. 15. ff. ad L. Jul. de Adult. & stupr. *Mascard.* de
Probat. concl. 666. n. 11. *Perfecta*, l. 32. ff. d. minor. L. fin.
C. de His qui ven. ætat. impetr. *Legitima*, d. L.
 fin. L. 50. §. fin. ff. de legat. 3 l. 27. ff. d. negot. gest. l. 41.
 ff. d. fidej. *Matur* d. l. 50. §. f. ff. d. *Legat.* 3. Hinc li-
 berat ille annus a cura, pr. I. d. Cur. aptum hominem
 ad capessendos honores, & munera omnia facit l. 8. ff. d.
 mun. & hon. de suis rebus disponere potentem reddit,
 contractus & obligationes valide inire permittit. Nisi
 impedimenta accedant Physicā vel moralia, quæ majo-
 renrem alias, Infantem & Minorem æstimatione ci-
 vili reddere possunt.

SECTIO II.

DE PRIVILEGIIS ÆTATIS JU- NIORIS ONEROSA & ODIO- SA TOLLENTIBUS.

SUMMARIA.

- §. 1. *Infantem atque Impuberem a Testi-
 monio ferendo dispensatum dicit.*
- §. 2. *Infantem ab incarceratione pro
 debito Immunem declarat.*

B 3

§. 3. Qno

-
- §. 3. *Quomodo circa Infantes delinquentes judicandum tractat.*
- §. 4. *Quomodo circa Impuberis.*
- §. 5. *Impuberem ab Incarceratione & tortura dispensatum dicit.*
- §. 6. *Doctores circa territionem puerorum dubitantes allegat.*
- §. 7. *Privilegium Impuberis circa feudalia proponit.*
- §. 8. *Eandem materiam continuat.*

§. 1.

Quoniam & tanquam testis in causa aliqua in judicium vocari, res est odiosa, hoc respectu variis ex rationibus, ad privilegia infantum recte referri meretur, *quod infans jure impediatur esse testis.* Quod quidem fundamentum in se habet, qui enim debilitate judicii laborat, de re aut causa aliena non quærendus, quoniam suam ipsem agere nequit. Parifere ex ratione *Impubes impeditur Testimonium valide ferre*, sive in civilibus, sive in criminalibus causis. l. 3. §. 5. l. 19. §. 1. f. i. d. Testib. utut, in primis

primis si Pubertati proximus sit, præsumptionem & indicium faciat, HAHN ad Wesenb. tit. de test. n. 3. BRUNN. ad L. 2. ff. Eod. n. 21. ac Pubes factus de in impubertate auditis aut visis, de iis, quæ tunc temporis intellexit, testari possit. Brunn. d. I. CARPZ. Proc. T. 13. art. 5. n. 112. sq. & P. 1. Const. 16. Def. 55. Gothofr. ad L. 3. §. 5. ff. de testib. lit. n. Minor vero in civilibus testimonio ferendo subtrahere se non potest, bene vero in criminalibus, usque ad vigesimum ætatis annum l. 20. ff. eod.

§. 2.

Porro Infans pro debito incarcерari non potest, non cadit enim in illum contumacia quæ communiter debitores carceri adjudicare solet.

§. 3.

In Judicio Criminali eminentissimo *infans* fruitur privilegio, siquidem nec vere delinquit, neque pœnam aliquam incurrit. Cum enim in omni delicto mala intentio atque dolus desiderentur, imo absque dolo patrata puniri non possint, per I. 1. C. ad L. Corn. de Sic. l. 53. pr. ff. d. furt. l. 33. ff. d. Injur. arg. l. p. ff. si quadrupes paup. Infans vero doli capax non aestimetur, similisque furioso habeat.

habeatur l. 12. ff. ad L. Corn. de fiscar. §. 10. I. de Inutil. Stipul. Clem un. de Homicid. volunt. vel cas. l. 60. ff. de R. V.I. 23. & 53. pr ff. de Furt. Conf. B. Struvii. Diff. de Dispensationibus Cap. 4. sequitur, qvod infans neque vere delinqvat, neque poenam incurrat, Constit. Crim. Carol. art. 179. PHILIPPI Us. Pract. Instit. L. 4. tit. 1. Ecl. 8. n. 4. Qvanquam castigationes & verbera parentibus non interdicantur, qvin potius, ne infans consuetudinem delinquendi contrahat, privatim virga recte coercentur: SCHOEPFFER Syn. tit. de privat. delict. n. 37. CARPZ. P. 3. qv. 143. n. 20. qvamvis autem Furti poena in eundem minime cadat, d. l. 23. ff. de furt. attamen, si turtum fecerit, re adhuc extante Rei Vindicatio, consumta vero, si locupletior inde factus, Conditione ex §. ult. l. qvibus alien lic. vel non, competit: Nulla vero locupletatione secuta, etiam nulla superest actio, sibi enim imputet negligens, qvod infantem passus sit sua afferre, arg. l. 12. ff. ad L. Corn. de Sicar. Conf. Struvii Diff. de Furibus a Poena laquei immunibus Cap. 2.

§. 4.

Impuberes, si sunt infantiae proximi, gaudent eodem jure, quo ad poenam, quo infantes, arg. §. 10. I. d. Inutil. Stipul. nisi qvod His, si de malitia & doli capacitatem appareat, arbitraria, non tamen severior, poena a judice irrogari queat

qveat RICHTER Dec. I. n. 49. Qvod si *pubertati proximi* sint, licet Hi tum doli videantur magis capaces, adeoque verè delinquant, §. 18. I. de Obl. qvæ ex del. I. III. ff. d. R. I. regulariter tamen nec illos manet pœna ordinaria, sed hæc à judice in extraordinariam mitiganda, *Const. Crim. Carol.* 157. 158. 161. & 164. ibi: So der Dieb oder die Diebin ihres Alters unter 14. Jahren wären / die sollen nicht vom Leben zum Tode gerichtet werden. CARPZ. P. 3. qu. 143. n. 21. sqq. PHILIPPI d. Eccloga 8. n. 11. sqq. RICHTER d. I. n. 57. Qvod si tamen malitia hic tanta sit, ut defectum ætatis suppleat, e. gr. Si furtum sit magnum, sœpius iteratum, aut qualificatum, vix & ordinariam evaderet Impubes per expressa d. art. 164. verba, id qvod præjudicio comprobat CARPZ. P. 2. qu. 82. n. 22. Puberibus adhuc tamen Minorenibus, indistincte pœna Ordinaria infligenda est, secundum I. I. C. si adv. Del. I. 9. §. 2. ff. d. min. I. 36. ff. ad L. Jul. d. Adult. CARPZ. d. qu. 81. n. 28. & P. 3. qu. 143. n. 66. Genus tamen Supplicii, ob miserationem ætatis, juxta L. 37. §. 1. vers. in delictis ff. de Minor. in aliud aliquando mutari potest: sic e. gr. Furi minorenni loco suspendii gladius dictatur, & in Infantida minore loco culei, vid. C. C. C. art. 131. itidem frequentius Gladius substituitur, & quidem, uti ab Excellētissimo Dno. PRÆSIDE rescivi, juxta Praxin Amplissimæ Hujus FCtis Juridicæ, sine exasperatione, cum alias Infantidæ majorenni in Ducatu Mecklenburgico præter gladium adhuc, ut caput, ad distin-

C

distin-

distinctionem qualificati ejusmodi Homicidii palo infi-
gatur, dictari communiter soleat.

§. 5.

Qvod §. 2. de infantibus asservimus, illud eti-
am de Impuberibus valet, *Hi enim pro debito e-
tiam non possunt incarcерari*, BERLICH. P. 2d
Concl. 28. n. 37. Adhæc neq; INFANTES, neq; IMPUBERES
possunt torqueri, propter l. 10 pr. ff. de qvæst. L. I.
§. 33 ad SCturn. Sylan. qvamvis posteriores, pro ratione
commissorum & Indiciorum, terreri, imo instrumentis
pollices constringentibus, mit Daum-Schrauben qvan-
doque angi posse, assendum sit, per d. §. 33. L. I. ff.
ad SCturn Sylan CARPZ. Pr. Crim. P. 3. qvæst. 118 n. 14.
*Conf. Illust. THOMASII Diff. de Tortura ex Foris Christiano-
rum Proscribenda Cap. I. & Consultissimi Dni. CARMONII*
hodie Magnifici Dni, Rectoris, Antecessoris hujus Aca-
demiae Celebr. Patroni ac Praeceptoris mei Colendissimi
disp. inaug. de Præludiis Torturæ Rost. 1707. habita.

§. 6.

Dubitant quidam DD. an ipsa territio circa pu-
eros sit admittenda? terror enim incusus pericula non uae-
rat, & maxime tenerioris atatis in epilepsiam aliisque
mala

*mala derepente incident, cum timor & terror ex sua natura
animi defectum excitare sunt apti, verba sunt ZACCHIÆ
Libr. VI. Tit. 2. Quæst. 2. p. 524. n. 6. Sed quemadmodum
Ille n. 12. ad pueros annum XII. nondum egressos hoc
restrinxit, ita pro affirmativa pugnant modo allegata
L. I. §. 33 verba, non tamen excludendum hic est pru-
dentis judicis arbitrium ; evolv. CARPZ, P. 3. Crim.
qvæst. 118. n. 2. & 9.sqq.*

§. 7.

*Impubes neque ad juramentum fi-
delitatis neque ad servitia feudalia in
persona præstanta obligatur 2. F. 26. §. Si
minori, (Quanquam alias acceptari ab ipso possit jura-
mentum eidem delatum l. 26. pr. ff. de jurej. qvod tamen
præstare haud tenetur ante pubertatis annos impletos l.
34. § 2. ff. eod. CARPZ. Jurisprud. For. P. 2. C. 24. def. XI. sq.)
& sic nec per se nec per alios hactenus jurat CARPZ.
Disp. Feud. 6. posit. 26.*

§. 8.

*Impubes investituram intra sta-
tutum tempus non petens, Feudum non*

C 2

a.

amittit. Vid. 2. Feud. 55. pr CARPZ. Decis. 178. n. 15.
STRYCK. Ex. jur. Feud. 6. 17. qu. 16.

CAPUT III.

DE
PRIVILEGIIS
ÆTATIS PROVECTORIS.

SECTIO I.

DE PRIVILEGIIS ÆTATIS PRO- VECTORIS FAVORABILIA TRIBUENTIBUS.

SUMMARIA.

§. 1. *Privilegium Senum circa exhibiti-
onem honoris dedit.*

§. 2. *Senes & ratione Dignitatum con-
sequendarum gaudere privilegio
asserit.*

§. 1. Pri-

§. I.

Privilegium ætatis, quod Senibus ipsa Majestas di-
vina tribuit, est *honor a junioribus ipsis
exhibendus*, quem imperat Deus summus Legis-
lator sub comminatione pœnæ criminis in suam maje-
statem commissi Levit. XIX. 32. Vor einem grauen
Haupt sollt du aufstehen/und die Alten ehren/dein du sollt
dich fürchten vor deinen Gott/Dein ich bin der Herr.
Quam laudatissimam observationem & JCtus in L. 5o pro-
ff. de jur. immunit. inculcat, quando gloriatur: Semper in ci-
vitate sua senectutem venerabilem fuisse, & Majores pene
eundem honorem Senibus, quem Magistribus, tribuisse jung.
PERETZ in Cod. tit. qui aetate n. i. & omnes cultiores gentes
quam optime tenuerunt, unde de Laconibus testantur
Scriptores, quod aliquis apud ipsos venerationem Seni-
bus declaratam videns, exclamaverit: In Sola Sparta
consenserere expedit, ne quid memorem de Atheniensi-
bus, Carthaginensibus, Persis, aliisque, in quibus mul-
tis idem laudant Historici passim. Imo apud Romanos
maximus habitus fuit honor Senibus, quod testatur
præter A. Gellium Noct. Att. L. 2. c. 15. Ovidius Poëtarum
Latinorum facile Princeps L. 3. Fast.

Magna fuit quandam *capitis* reverentia cani,
Cujus & in pretio ruga senilis erat.

Et in genere de honorandis *Senibus* Juvenalis scribit:

Credebant hoc grande nefas & morte piandum
Si juvenis vetulo non assurrexerat olim.

C 5

§. 2. In

§. 2.

In genere etiam proiectioris ætatis privilegium
præ Juniori in eo spectatur, quod *in dignitatibus
consequendis maxima gaudeat prærogativa*, vid. Tiraquell de jure primogenit p̄afat. n. 165. &
182. circa quod tamen singularem annorum terminum
statuere haud licet, quoniam judicandi veniunt ex vir-
tute, quanquam pluribus placeant anni inter XXX. &
LX. medii, quos ad gerenda onera & munia aptissimos
reputant, quippe vires ingenii & judicii per illos pleno
vigore plurimum florere, Medicis non solum adstipulan-
tibus, sed & ipsa experientia teste, in aprico est. Hinc
brocardicum vetus sua veritate nititur, qvod nimirum
expediant optime

Der Alten Raht

Und der Jungen That.

Immo Lipsius Pol. L. 3. c. 4. n. 8. bene judicat: *Consi-
lia seniorum sunt hasta juvenum.*

SECTIO II.

*DE PRIVILEGIIS ÆTATIS PRO-
VECTORIS ONEROSA ET
ODIOSA TOLLENTIBUS.*

SUM-

SUMMARIA.

- §. 1. Ætatem ab Oneribus dispensat ars,
inculcat.
- §. 2. Privilegium Militum Veteranorum
memorat.
- §. 3. An senes a testimonio ferendo di-
spensari possint, differit.
- §. 4. A tortura immunes interdum
eosdem dicit.
- §. 5. A quo tempore hæc immunitas in-
cipiat, inquirit.
- §. 6. 7. 8. Hanc Materiam continu-
ant.
- §. 9. Eandem finit.
- §. 10. Circa Supplicium aut pænam de-
crepiti furis versatur.
- §. 11. An senes adulteri mitius punien-
di ? quærit.
- §. 12. Disputationem claudit.

Ætas

§. 1.

Ætas proiectior ab oneribus excusat, Sic à Tutela & Cura suscipienda liberat ætas se-
pruaginta annis major. §. 13. I. de Excus. Tut. L. 2. pr. ff. de Ex-
cusat. L. 3. §. 6. ff. de munere & honor. L. 3. ff. de jur. immunitate
adhuc hodie HOPP, in usu mod. ad §. 13. i. de excus. Idem
obtinet in omnibus muneribus personalibus d. L. 3. ff. de
jur. immunitate. L. 2. §. fin. ff. de Decur. A decurionatus officio vero
LV. annos sufficere patet ex modo citata L. 2. §. 8. ff. de
Decurionibus & L. II. Eod. quod in officii istius maximis
curis rationem habet repositam.

§. 2.

Speciale Privilegium ætatis olim Militibus Ro-
manorum Veteranis militia honeste missis imperti-
tum fuit, postquam certos annos in castris militassent,
quos non uno termino sub omnibus Imperatoribus ab-
solutos Rerum Romanarum Scriptores asserunt. vid. Alex.
ab Alex. Gen. Dierum Libr. VI. cap. 22. Hi enim non solum
militiae onere non amplius gravabantur, sed adhæc
privilegiis quam lautissimis gaudebant, traditis agris
autoritate Imperatoria possidendis; eleganter hanc rem
tectis sub nominibus depingit Virgilius in Bucolicis Ecl. I.
Mælibœum pulsum statumque suum plorandum de-
fletem introducens; jungatur idem Eclog. IX.

§. 3.

§. 3.

*Ab onere testimoniorum feren-
dorum Jura Senes etiam dispensant.*

Licet enim ad testimonium perhibendum regulariter omnes, quicunque illi demum fuerint, & indicta multa, compelli possint, per tot. sit. f. & Cod. de testib. limitationem tamen hæc regula patitur in Senibus, per expr. textum in L. 8 ff. Eod. quod Doctores arg. L. 3. ff. de jur. immun. & L. 1. C. Qui ata, vel prof. De Septuagesimo ætatis anno intelligunt, Farinac. qv. 78. n. 60. Ratio hujus privilegii consistit in lapsu memoriae in Senibus jam præsumendō, & ne conscientia eorundem temere oneretur. Sic ex Actis M. Januario a. c. ex Principatu Anhaltinc-Servestano ad Ampl. FCtem Juridicam missis observavit Consultiss. DNUS. PRÆSES, quod, cum Inquisitus ab uno ex Commissariis eventualiter testimonii dictiōnem urgeret, Hic vero Senio ab illa se excusaret, nulla exceptionis hac sola de causa contra Commissarii personam motæ, à Serenissimo habita fuerit ratio.

§. 4.

Succedit insigne *Privilegium ætatis provectionis*, quod *senibus vel Decrepitis* D cum

cum impuberibus quodammodo commune est, nimirum *immunitas à tortura.* Excipiuntur enim ab Hac ii, qui *atate* deficiunt, *i.e.* 3. §. 7. ff. d. SCIO, *Sylan. RICHTER Vol. 2. Conf. 393. n. 16.* Qvinam autem deficiant, CARPZ. *Prax. Crim:* p. 3. *qvaest.* n8. n. 35. & 38. Enarrat.

§. 5.

Verum quis terminus à quo hujus privilegii sit, inter Doctores acriter controvertitur. Qvinqvaginta annos hic non sufficere recte respondit Ampliss FCtas Jurid. Tubingensis apud Harppr. *Consult. Crim. & Civ. Vol. Novi P. 3. Conf. 79. n. 115.* Alii distinguunt inter *Senectudem & Decrepitatem*, ubi quidem partim JCTi & Medici post Sexagesimum ætatis annum *decrepitatis* initium constituunt, partim vero, post Septuagesimum eandem demum incipere afferunt; Sed ornnium optime indejudicanda erit decrepitas, quando cum corporis viribus animi facultates simul deliquium aliquod sentiunt, Senes enim dixeris illos, qui quidem ætate gravati corporis vigore carent, nihilominus tamen animi consilio polent, imò cœteros præpollent, quod de decrepitis non æque affirmandum, qui bispueri plurimum evadunt die Kindisch werden. *Conf. ZACCHIAS. l. c.*

§. 6.

Hoc præsupposito, facili negotio judicanda res erit;

erit ; Nam ex dictis sua iponte sequitur , quod illa ,
 qvæ Jura Senibus induſt̄e privilegia , eò magis ad De-
 crepitos f. iꝝ aroꝝ̄es , ut appellari s̄everunt , applican-
 da sint , Et cum superius dictum fuerit , Senes torqueri
 non debere , id ipsum multo magis in *Decrepitus* locum
 inveniat ; Omnino tamen imbecillitatem virium tam
 corporis quam animi in Senibus vel maxime ob oculos
 habere judicem oportet , de qua , si ipsi ex Actis constet ,
 res dubio caret .

§. 7.

Adeo circa hoc ætatis privilegium ratione ter-
 mini nil certi definiri poterit , sed res omnis ad arbitri-
 um redit prudentis Judicis , siquidem Illud interdum a
 tortura liberabit Senes , non adeo annis , quam infirmitate ,
 laborantes , & contra Huic subjiciet alios ex annorum ,
 numero magis Senes , ob robustam corporis constitutio-
 nem & animi scelerati pertinaciam , cuius exemplum
 videsis ap. CARPZ. qv. 144. n. 23. in Sene 87. annorum ,
 qui cum ancilla sua septies concubuerat , eamque impræ-
 gnaverat , cuiusmodi Senes minimum , pro ratione cir-
 cumstantiarum , à territione non immunes erunt , uti
 juxta dictam distinctionem modo territionem , modo tor-
 turam Senibus à FCte Jurid. Viadrina dictatam esse ,
 notat Brunn. ad L. 3. §. 7. ff. de SCto Sylan.

§. 8.

Judicis tamen officium hoc casti est , ut in Actis
 Dz Probe

probe notari curet, cuius *etatis* Inquisitus sit, an *robustus*, an vero *infimus*, quo Extraneus iudex, transmissis actis, an *Privilegium etatis* in hoc subjecto locum habeat? nec ne? arbitrari possit, Brunn. *de lo n. 10.* & *11.* quod ipsum in Actis Inquisitionalibus contra DANIEL HANS, & CHRISTOFFER MOYSEN, in puncto Homicidii & Furti, quorum primus Octogenarius erat, non observatum, & hinc, ne existente insuper quidem corpore delicti, invito jure, ad Consilium Duorum Jure Consultorum; ante biennium iteratis plene vicibus eundem tortum esse, merito in Foro ursit, & ex hoc capite confessionem ab Inquisito factam impugnavit DNUS. PRÆSES.

§. 9.

Hoc certum, quamvis Senes remissius quam alii in quibusdam delictis puniantur, uti evincit L. 2. *ff.* de term. mot. L. 6. ad L. *Jul. pecul.* RUDINGER *Cent. I. Obs. 20. n. 7.* privilegium hoc cessare in pena Legibus uniformiter definita, quæ absque ulla, ob Senium remissione, vel moderatione, etiam Senibus infligenda est. ANTON. FABER *Cod. Sabaud. I. 9. tit. II. Def. 1. n. 5.* CARPZ. *P. 4. C. 3. Def. 15. n. 6.* quedammodo & à Senne quoddam Bigamo plus quam Octoginta annorum aliquando hic ultimum Supplicium, uti inaudivi, sumptum est.

§. 10.

Sed queritur, *Utrum decrepitus pena*

na suspendii sit afficiendus? Respondent.

DD. non uno voto: & vix ab affirmativa legibus firmata, recedendum esse, cum illius Patronis, statuimus; Nisi fortean perfectum Consilium sana integraque mens ipsis defuerit, quo casu infantibus assimilandi venient. Imo B. Struvius Diff. de Furibus a Pœnalaquei immunibus Cap. 1. illo casu decrepitos nequidem pœna fustigationis, sed adhuc leviori affligendos esse cupit, Præjudiciumque allegat sequens, pronunciatum contra M. I. zu Stolzen / Ann. 1601. hat inquisit, so seines alter 80. Jahr in guten bekandt und ausgesagt / dass er dem Müller A. Biesenstock --- verauget. So mag er nach Gelegenheit dieses Falls / und weil man eigentlich nicht wissen kan / wie viel das Honigs gewesen / mit der Todesstraffe / und denn in Ansehung seines Alters mit Leibesstraffe nicht belegt werden / er wird aber des Landes ewig billig Verwiesen v. R. W.

§. II.

An autem, Senes in Crimine Adulterii mitius erunt puniendi? Diffusissimus est hac de re Carp. Crim. P. 2. quæst. 62. Brevibus vero ut nos expediamus, videtur sententia affirmatum vix amplectenda, rationes enim qvas DD. eandem tenentes, allegant, a negativa nos dimovere penitus non valebunt; Hinc cum nobis vix oriatur Privilegium

D 3

feni-

enibus hac in parte tribuendum , Studio & multi esse abstinuimus.

§. 12.

Et sic levi saltem digito tetigisse placuit latissimam alias materiam de Privilegiis æstatum potioribus, eamque Speciminis Inauguralis loco publicæ censuræ & ventilationi subjecere ; Potuissemus fusius hac in re versari, cum unicus Tiraquellus in *Supra citato tr. in præfat. à num. 79. usque ad n. 236.* quinquaginta prærogativas, quibus Junioribus Seniores præferantur, alii longe plus recenseant. Sed lubuit in adductis Studio acquiescere. Secundet Deus T. O. M. omnia cœpta nostra, & sicuti a teneris nobis benignus fuit, sic etiam qvandiu ipsi plauerit superstites nos conservare, nunquam vel ullo loco aut tempore nos sua gratia deserat. Faxit nos voti ardentissimi compotes, sic semper tribuemus

SOLI DEO GLORIAM.

(3)

PRÆ-NOBILISSIMO ET
CONSULTISSIMO
DOMINO Ddo,
ERN.JOH.FRIDERICO
MANZELIO,
S. & Q.

Dignitatem quandoque supplere et a-
tem, ex jure nostro antiquo novimus.
In TE verò OPTIME MANZELI! an æ-
tas suppleat dignitatem, an dignitatem
ætas ambigo, benè gnarus, quod supra æ-
tatem sapias, cœu publicis privatisque te-
stimoniiis adeo demonstratum dedisti, ut
flosculi eruditionis TUÆ, hodie in ma-
turos fructus felicissimè resolvantur. Ma-
cete præstantiâ Tua DIGNISSIME DO-
MINÈ DOCTOR ANDE, & Honores in
Nostrâ Facultate Summos bonis avibus

accipe.

accipe. Cumque promptâ Tuâ facundiâ,
 ante Brabæum, de ÆTATIBUS Tibi
 differere placuerit, hoc unicum in votis
 habeo, ut ÆTASTUA sit & maneat sine
 ætate, & hac ipsâ ÆTATEM VENE-
 RANDI TUI PARENTIS, Quem lon-
 gùm adhuc in Salutem Ecclesiæ valere
 cupimus, æquet aut superet. Summum
 & PRÆPOTIENS NUMEN æternæ
 Virtutis Suæ clypeo TEMET protegat,
 omniisque Prosperitatis cumulo beet, quò
 studia IUA optime ordinata non modo
 stabilantur, sed etiam Majoribus sub in-
 de incrementis in Honorem TRINUNI,
 Commodum Reipublicæ & Patriæ pro-
 priumque Solatium largiter progermi-
 nent.

T. T.
JACOBUS CARMON,
 Phil. & U. J. D. Pand. Professor Pub. Ord. nec
 non Consistorii DUCALIS Confiliarius,
 hoc. ACAD. RECTOR.

PRAE-

A. & Q.

**PRAE-NOBILISSIMO JURIUM
CANDIDATO ac DOCTORAN-
DO DIGNISSIMO,
DOMINO
ERN.JOH.FRIDERICO
MANZELIO,
IN AUGURALALEM GRATU-
LATUS DIEM,
JOH. JOACH. WEIDENER, D**

Quicquid *Prænobilitissime Domine
MANZELI*, *Fautor & Amice*
ex meritis & morum gratia medullitus
michi dilecte, a primis temporum mo-
E ris,

ris, inter quas coaluit nostra neces-
 situdo explicuit observatio & so-
 licita declaravit experientia , id si
 dicere ac fando exsequi auderem,
 haberent & emunctiores,in quo ad-
 mirationem sortirentur , & Zoilo
 caderet bilis, qua, ut sibi, non vero
Tibi Tuisque egregiis emolumenis offi-
 cere molitur, sic & poenitere suum
 in ilia revolvere, propria coadige-
 re opus haberet; Nec tamen omni-
 bus in universum abdicare me va-
 leo,minimū,quod modestia Tua sin-
 gularis repudiare non valitura, ca-
 sto atque puro ut explicem sermo-
 ne & dies præsens & ALMI SO-
 SPITATORIS exuberans gratia
 super Te,jubere ac exigere mihi vi-
 fa sunt:
Si.

Simulac ergo domum intrare
 meam Tibi placuit, mentis propen-
 sæ & amoris cuiusdam extraordi-
 narii stricturas & igniculos gra-
 te persensi, quos dum dies ad di-
 em evexit, quin in flamمام erum-
 perent, hoc minus impedire potui,
 quo honesto cuivis facile concili-
 or. Usurpabam oculis ac animo Ju-
 venem, in quo larga & gratiofa
 natura documentum favoris hæ-
 reditarium dederat, sive enim ad
 corporis habitum, sive ad animi se-
 lectas dotes, mea se referebat me-
 ditatio, nunquam inveni, quod
 non jure quodam suspicerem; stu-
 diis humanioribus Te ample innu-
 tritum cognovi, linguas callebas,
 in poësi & judicioſis operis cluebas,
 Historiæ & Genealogiæ invigila-
 bas,

E 2

bus, nec a Philosophicis Studiis ab-
 strahabar, Historiam Ecclesiasti-
 cam avide secessatus ad specialissima
 contendebas capita, nullibi exla-
 tiatus aut pertensus cujusdam, Bi-
 blia erant tuus amor, & sancta ex
 hoc divina abyssus profluens Theo-
 logia ut primis deum labris ean-
 dem degustavisses, opprobrium
 arbitrabaris, imo serius per omnia
 fervor te animabat ad selectiora,
 solidiora & sublimia quævis, testes
 habeo ex privatis meis Scholis, qui
 ad prompta tua responsa, ad ex-
 sciataam Scientiam & facundam in
 rebus maxime arduis proponendis
 ac discutiendis parrhesiam, obstu-
 puerunt, & multi quod similibus
 donis atque prærogativis non in-
 struebantur, dolorem ac invidiam
 dissimilans

diffimulare impotes inveniebantur,
 Feci saepius Egomet ipse exerciti-
 um, ut strictioribus temporum mo-
 ris, ad labores quosdam non faciles
 te accingerem, sed insperato & fe-
 licissimo successu, sive in prosa sive
 in ligata, sive publice sive priva-
 tis occupabaris, omnia ac sin-
 gula gratiam & consensum meum
 foenerabantur quod & *Aliis Tuis Do-*
citoribus & Præceptoribus, quorum e-
 ruditione ac Doctrina perficieba-
 ris, compertum evasisse & reor &
 bona ex parte resciscere mihi datu-
 um fuit; Imo si de publicis solum
 conquirenda forent testimonia,
 Auditorium nostrum & cathedrā
 tam Respondentium quam Oppo-
 nentium tua personuit indole, de-
 que tuogavisa sunt talento. Cujus
 post alia multa, egregium specimen

reliquisti , quando in *Jubilæo Religions Lutheranæ: Delineationem Curiae Papalis* , me Præside , masculine defendisti.

Unum erat , in quo tunc quidem temporis mea distinebatur consideratio , quam libenter enim , dum approbabam tuam prudentiam , qua ad Collegia non ad volares nimis citto Homiletica , ut multi noxie satis facere s'everunt , antequam studia rite excoluerunt , tam tardam & timidam tamen experiri nolui Tuam celebrem suadam , ubi in Cathedra Ecclesiastica ad placita Mystarum , differendum erat , qvicqvid ex pe- nu Bibliorum ac Hermenevtices de promere Tibi non erat difficile : præcipue etiam id confiteri opus est , me in Collegiis Juris Naturæ & Studiis

Studiis iis auro mihi contra carioribus, nondum accepisse Auditorem, qvi industriam ac solertiam tuam vicerit, non enim quievisti circa singula sanctioris hujus disciplinæ capita, donec ad penetralia ipsa pertingeres & demonstrationem, ejus solidiorem in succum & sanguinem convertisses; quod, dum Theologo multum prodest, male me equidem habere non potuit, modo ut, quoniam & sub ductu *Illustris ac Consultissimi Domini CARMONII, Antecessoris in hac Alma Celeberrimi & Academiæ nunc RECTORIS MAGNIFICI*, Studiis Juris & Civilis & Publici operam assiduam navares, metus me incesserit, num forte Studium Theologum deterendi, urgere machinareris occasionem.

Inter

Inter hanc formidinem meam
Roseto nostro dixisti vale & in Sa-
 xoniam migrans , ac perlustratis
 ibidem Academiis , Leucoream te-
 legisti , ubi pedem figeres & Studia
 porro feliciter excoleres , quem in
 finem , ut Te *Celeberrimis Theologis* ,
Dominis WERNSDORFFIO &
CHLADENIO commendaveram ,
 ita quoque testimonia Eorum , soler-
 tiæ ac probitatis Tuæ confessoria
 recepi , sed qui ad nos delati rumo-
 res , de abdicato Studio Theologi-
 co , de Collegiis Juridicis privatis
 ac privatissimis , quæ apud *Illustres*
Viros Dn. WERNHERUM &
Dn. BERGERUM frequentare di-
 cebaris , cum literis Amici Cujusdam
 & Tuismet denique ipsis confirmab-
 tantur , ægre penitus hoc proposi-
 tum

tum ferre cœpi, & velut nosti, epistola prolixiori, ac argumentis hunc in finem solide condensatis conscientiam ferire tuam aggressus sum nec destiti, donec explicasses, quod mutationis hujus habueris pendorosas causas, quibus cedere tandem adigebat, velut & Honoratissimis Tuis Parentibus non reliquum mansit, quod juste opponerent.

Sic resalutatis Musis Nostris, palam declaravisti qua mente ferreris, & Amplissimæ Facultati Juridicæ talem Te præstitisti, ut in vota concedere Tua non amplius detrectaverit, quæ potius promovere juris & honestatis duxit, postquam sub Præsidio Illustris Dn. CARMONII Dissertationem Tuo Marte elaboratam: *De scientiis, quæ*

F

Ju-

Jurisprudentiae Studium potissimum adjuvant & exornant laudatissime & Auditoriitatius inceluti cum applausu defenderas, quemadmodum & postea Exercitii disputatorii & eruditorum laborum varia documenta hanc Tibi gratiam continuo lucrantur ut in partes & encomia Tua facile & admodum proclivi affectu trahantur omnes & singuli, qui Te probe norunt & Talentia Tui divinitus concessi fructus ac usus non possunt non admirari, inter quos Praeclarissimi mei Consalini & liberalium Artium fulgidissimi Doctores ac Magistri HANIUS, HARTMANNUS BERGIUS & quot non alii, ut tuis axasciatis & egregiis Studiis litent, volupe ducunt, quin, dum Tua gloria ad Colophonem adscendit, fatis

fatis Tuis sincere adblandiuntur, ei-
demque ut perennantibus auspiciis
consulatur ac bene sit, ex animo vo-
vent.

Ne interim promovereris, an-
tequam 10lemnia sint præstata, *Con-*
sultissima nostra JURIDICA FA-
CULTAS, partibus suis de esse no-
luit & Examine rigoroso tentatum
dignumque inventum suum Candi-
datum amplexatur, Eidem & non
solum *Disputationis Inauguralis* ha-
bendæ copiam gratiose indulxit, sed
etiam *ipso in fure utroque summos ho-*
nores statu jam die decrevit; quod
ut felix sc̄nctumque jubeat esse Al-
mus Studiorum Arbiter, ex animo
precor! Faxit & is ipse pro sua be-
nignissima providentia, ut orbis, A-
cademia & Civitas nostra, Familia

F 2

Tua

Tua & quotquot sunt , qui Studiis
 ingenuis sincere favent , gloriam ,
 emolumenta , fructus & gaudia
 multa inde metant ac lucri faciant !
 Tuque ipse diu valeas , viribus cor-
 poris & animi augearis & prosper-
 rima quævis experiri habeas ! Scri-
 bebam XVII. Calend. Octobris
 Anno MDCCXXI.

Graues Sudores sequuntur præmia
 larga ,
 Durosque exspectat fulgens corona La-
 bores :
 Ne Te pæniteat Studii , Clarissime
 MANTZEL ,
 Ne

Quod sacrasti iamiam Castalidum
aris,
Laurum debitam statim Tua Musa
videbit.

Hisce prolixiori affectu, quam verbis, de conte-
rendis Summis in Jure honoribus gratula-
turus

J. H. SIBRAND, V. J. D.
& Prof. Publ. Facult. Jurid. h. t.
Decanus, & Senior.

AD
PRÆ-NOBILEM & CONSUL-
TISSIMUM
DOMINUM
DOCTORANDUM,
Amicum Suum Æstumatissimum.

VIno vendibili non opus esse su
F 3 spen-

spensa hedera, in proverbio est, ab ipsa
 veritate non alieno : Invenit Illud enim
 admiratores, quotquot vel primis id de-
 gustarunt labiis, & de excellentia ejus
 incorruptum ferre judicium apti sunt.
 Idem & de Viris consummata eruditio-
 ne, singulari morum probitate ac ele-
 gantia, rarioique ingenii acumine præ
 multis præditis jure dicitur, Singulis
 His Virtutum speciebus, & multò magis
 iis sociali quasi fædere junctis, unicuique
 subjectum, cui inhærent, vel per se mi-
 rum in modum commendantibus: Maxi-
 me, cùm Virtus latére nescia sit, & quò
 fortius eadem deprimitur, eò violentius
 illa prorumpat, ac plurimorum mini-
 mūm admirationem necessaria vetuti le-
 ge ad se rapiat potius, quam ducat.
 Campus mihi pateret spatiofissimus,
 Præ-Nobilis Domine Candidate, si in lau-
 des

des tuas decurrere mihi nunc liceret; E-
 nim vero retrahit me ab hac semita tum
 insignis Modestia Tua, quam, vel intra
 cancellos memet continendo, certo certi-
 us laederem, tum constans propositum,
 quod affectibus, saltem ex aliorum votis,
 hac in parte nil quicquam indulgere ve-
 lim. Et quid opus foret verbis, cum Te
 Ipsum satis superque non hodie demum,
 sed jam dudum, ab Eruditione, Moribus
 & Ingenio omnibus commendaveris. He-
 deram itaque hic minime suspendam, sed,
 certissima spe fretus, fore ut, quemad-
 modum, Te Summos in Jure Honores
 Summo cum jure ambire, Amplissimæ
 Facultati Juridicæ, in Rigoroso, quod
 vocant, Examine, probatum jam dedi-
 sti, ita illud & hodie, masculine defen-
 dendo Theses Inaugurales, unice à Te col-
 lectas, publice comprobaturus sis, Tibi
 saltem

*saltem de mox subsecuturis Honoribus
& Privilegiis Doctoralibus animitus
gratulor: Fauxit Omnipotens Deus, ut
novi isti Honores in Altissimi Sui No-
minis Gloriam, Rei Literariæ Decus, in-
que Tuum Tuorumque incrementum &
ornamentum ingens cedant, Tibique pri-
mi ad ulteriores gradus sint. Vale &
Fave*

ROSTOCHII,
d. 23. Septembr.

1721.

Tibi Addictissimo

JOH. CHRIST. PETERSEN, D.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002508703/phys_0054](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002508703/phys_0054)

DFG



currere mihi nunc liceret; E-
trahit me ab hac semita tum
odestia Tua, quam, vel intra
remet continendo, certo certi-
z, tum constans propositum,
ibus, saltem ex aliorum votis,
te nil quicquam indulgere ve-
nuidopus foret verbis, cum Te
is superque non hodie demum,
udum, ab Eruditione, Moribus
omnibus commendaveris. He-
que hic minime suspendam sed,
spe fretus, fore ut, quemad-
e Summos in Jure Honores
in jure ambire, Amplissimæ
Juridicæ, in Rigoroso, quod
xamine, probatum jam dedi-
llud & hodie, masculine defen-
es Inaugurales, unice à Te col-
lice comprobaturus sis, Tibi
saltem

the scale towards document

Patch Reference numbers on UTT
Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. 0111